

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

D.Friderico Bernberck, senatori urbis Cithni, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

nere summo cum periculo uolulistis, cogitau. Nec
 procul discedere potui. Familiã igitur duxi in oppi-
 dum Northausen. Ego in iugis Hercinijs non inter-
 feras, sed inter homines honestissimos, socios no-
 stri luctus, uersor. Ibi exitum obsidionis expectare
 uolui. Nam coniectura quadam ducebar de tempo-
 re, ut coram narrabo. Cursorẽ meum ad uos misi,
 ut de statu oppidi, deq; uestris consilijs mihi scriba-
 tis. Etsi enim erit longius exilium suscipiendum: ta-
 men colloqui uobiscũ decreui. Optarem nos in ea-
 dem Academia uiuere posse, ubicunq; Deus aliquã
 sedem nobis attribuet. Si isthic manent Pastor &
 Crucigerus, de reditu cogitabo. Sed prius audiam
 quid tu statueris, & quid mihi faciendum iudices.
 Omnino mihi morte acerbior est hæc distractio no-
 stri cœtus. Et tamen ferẽdum est, quod mutari non
 potest. Bene uale, 26 Februarij, Anno 1547.

D. Friderico Bernberck, senatori ur-
 bis Cithni, S. D.

[Honestissime domine Friderice. Cum Paulus no-
 ster & tui & patriæ amore ad uos profecturus es-
 set, & ipse comes amicissimi hominis nunc esse nõ
 possem: uota tamẽ mea, cum mea etiam epistola co-
 mitari uolui. Ac primũ oro filium Dei, ut sicut
 iter facientem Iacob cum familia custodiuit: i-
 ta hunc, & honestissimam coniugem, & dulcissi-
 mos

mos liberos seruet incolumes. Vobis etiam opto, ut incolumes & Leti conspectu mutuo ac dulcissimo- rum sermonum communicatione fruamini: & ut colloquium uestrum sit uelut nepenthes, quod leniat mœsticiam, quam propter Rempub. ut omnes boni uiri toto orbe terrarum, ita & uos circumfertis. Mihi hic in oppido mœstissimo nulla res humana alia, nisi Pauli consuetudo, dolorē mitigauit. Nunc solitudinē ualde metuo: sed si diutius eum retinebitis, me quoq; isthinc attrahetis unā. Est simul & honestissima & dulcissima ratio, uiuere in consuetudine doctorum, ac eruditis colloquijs pectus ad cogitationem de Deo & alijs rebus bonis accendere. Hæc ratio uiuendi præcipuè appetenda esset, etiamsi quid aliud in uita delectare nō posset. Nunc in hac confusione imperiorum, quid delectare hominem sanum potest? Confugiamus igitur ad hanc uiuendi rationem, & nobis quantum Deus concedit, mutuis officijs dolores leniamus: uota etiam cōiungamus, ut Deus Ecclesiæ semē sanctū, studia doctrinæ, & hospitia aliqua seruet. Hæc uota non erunt irrita, sed magis medebuntur publicis calamitatibus, quā regum conuentus. Sed sum breuior, quia talium sermonum scio congressus uestros ple- rosq; fore. Vale, Die 6 Septembris, Anno 1547.

Amico cuidam.

In hac confusione Reipublicæ, etsi multa sunt

x 5 quæ